



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Lvdovici De Ponte, Societatis Iesv, Meditationvm De Praecipvis Fidei Nostrae Mysteriis

Vitae Ac Passionis D. N. Iesv Christi; B.V. Mariae, & aliquorum Sanctorum
Qvae Historiam Complectitur vniuersæ Paßionis Dominicæ

Puente, Luis de la

Coloniae, 1614

Med. 2. De Ascensu Christi in Ierusalem, cum Apostolis aparuit, quæ in ea
eßet paßurus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54653](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54653)

MEDITATIO II.

DE ASCENSU CHRISTI

Domini in Hierusalem, in quo suis
Apostolis aperuit, quid esset illic
passurus, & quoties apud illos
de sua passione mentio-
nem fecerit.

PUNCTVM I.



ONSIDERANDVM pri-
n. d est, quod Christus Do-
minus noster, cum sciret
passionis suæ tēpus appro-
pinquare, & Iudæos in Hie-
rusalem de morte illi infe-
renda iam agere, voluit ex

ciuitate Ephrem, quò se cum Apostolis re
ceperat, ascendere in Hierusalem: in quo iti-
nere, extraordinario gressu utebatur, b *prace-*
debat, inquit S. Marcus, *illos IESVS, & stupe-*
bant; & sequentes timebant. Circa hoc pun-
ctum perpendendæ sunt causæ insolitæ huius
properationis Christi Domini in illo ascensu,
& effectus, quos in ipsis Apostolis eadem pro-
peratio effecit.

PRIMA causa fuit, vt voluntatis suæ prom-
ptitudinem, & spiritus feruorem, quo ad pa-
tiendū ascendebat, manifestaret; nihil timens

pœnas

poenas & cruciatus, qui Hierosolymis illum manebant: & addendum, eundem Christum Dominum, ad opera ex seipsis facilia & gloriosa; quale erat, conciones habere, infirmos curare, & alia miracula edere, ordinario suo passu fuisse usum; ad obedientiam autem poenalem, & ignominiosam suę Passionis & mortis, uti voluisse gressu extraordinario, urgente ad id illum vi amoris diuini; qui instar ignis est, & aculei aut calcaris, quod properare facit, & currere feruentius ad eam obedientiã, quæ cum carni sit grauis & ingrata, Deo tamen est gratissima, & placet plurimum; cuius contrarium efficit amor proprius, qui plumbeis pedibus, ad laboriosa virtutum exercitia nos mouet, cum contra nos properare faciat, & quasi volare ad ea, quæ sunt voluptatis & honoris. Ex quo facile intelligam, quam simpliciter plenus amore proprio, vacuus verò diuino: O dulcissime IESU qui ad cruciatus perferendos, tanto feruore & festinatione in Hierusalem ascendisti, atque si ad laborum requiem pergeres; imple cor meum amore illo diuino, qui te ibi vrsit, ut properares; ut & ego tardos tepidosq; gressus meos mutans, feruore simili tuo, me offeram ad obediendum & patientiandum, quicquid tu volueris.

II.

SECUNDA causa, cur in hoc itinere omnes præcederet, fuit, ut ostenderet se, in quacunque occasione laborum, tam internorum quam externorum, velle præcedere, & omnibus Apostolis, Discipulis, ac Martyribus, &

Sanctis omnibus, qui fuerunt, vel futuri sunt, velle anteire; cum contra in miraculis perpetratis (quæ res est honorifica) cesserit suis Apostolis & aliis Sanctis, iuxta illud; *c Amen amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet*: ac in negotio patiendi, nullus illum præcessit, aut assecutus est; plus enim passus est ipse, quam Iob, quam mendicus ille Lazarus, quam Prophetæ omnes & martyres: omnes enim retrō manent, illumq; vt patiendi exemplar, respiciunt: O bone IESV quam est contrarius tuus spiritus mundi spiritui! nam hic omnibus anteire vult in ijs, quæ ad honores ac delicias spectant: tuus verò in ignominijs & tormentis; ille præcedere cupit in operibus maioris gloriæ, tuus verò in ijs, quæ sunt maioris ignominie; da mihi Domine hunc spiritum, qui tibi tantopere arrisit; & quem tu ad eò coluisti: vt contendam excellere omnes, eosq; præe in eo, vt amore tui, præ alijs omnibus contemnar & affligar.

co I an. 14. 12
S. Thom. 3 p.
q. 46. a. 6.

III.

TERCIA causa fuit, vt suos Apostolos, ad admirationē incitaret; & prouocaret ad imitationē: Stupebant enim sequentes & prope- rabant etiam ipsi, vt illū assequerentur, singulis contententibus alios anteire; vt ipsi IESV magis appropinquarent; timorem, quo afficiebantur, vincētibus igne amoris, quem erga illum habebant: à quo etiā vrgebantur festinare gressum, ipsius Christi exemplo prouocati: In quo etiā modus nobis ostēditur, quo respicere debeat

debeamus ad ipsum Christum in passione sua; & illam meditari; admirantes videlicet de ijs; quæ facit & patitur, & eum in eisdem studentes imitari; vt, cum aspicio Christum Dominum flagellis cæsum, purpura indutum, spinis coronatum, suamque crucem baiulantem, admires, quòd tantus Dominus tantas poenas, tanto amore sustineat; & appropinquem, quantum mihi licebit, eidem; eundem sequens in suscipiendis disciplinis, gestandis cilicijs, & pauperibus vestibus induendis, meaq; cruce quotidie sublata properem, vt alios præcedā, ipsumque sequar, non *à longè*, vt S. Petrus sequatur, nocte qua Christus fuit comprehensus; sed propè: eidem Domino supplicans; vt sua gratia mihi adsit, qua possim difficultates & impedimenta vincere, quæ me ab ipso sequendo auertunt: faciam verò, quod in me est, quicquid poterò, vt ea superem.

Matth. 62. 38.

PUNCTVM II.

CV M hac ratione Christus Dominus iter faceret, substitit paulisper, donec duodecim Apostoli ad ipsū peruenirēt, quos seorsim accipiens secretò, dixit eis. *a ecce ascendimus Hierosolimam, & consumabuntur omnia, que scripta sunt per prophetas de filio hominis, b tradetur enim principibus Sacerum & Scribis; & condemnabunt eum morte, & tradent eum Gentibus ad illudendum & flagellandum & crucifigendum.* Nunc tertio aperuit Christus Dominus Apostolis suis passio-

a Luc. 18. 31.

b Matth. 20. 17.

rem

nem suam; bis enim ante hac idem fecerat, licet nō ita distinctē; primū postquam Petrus ipsum cōfessus fuerat *esse filium Dei viui*: deinde postquam d *lunaticum dæmoniacum*, magna omnium *admiratione & stupore* curauerat, vt refert S. Lucas.

c *Matth. 16*
16. 21. & 17.
22.

c *Marc. 8. 31.*
& 9. 31.
d *Luc. 9. 22.*

PERPENDENDAE circa hæc sunt causæ, cur toties Christus Dominus, & in huiusmodi occasionibus, aperuerit discipulis labores suæ passionis & mortis; ex quibus eas seligimus, quæ ad vtilitatem nostram spiritualement magis conferunt.

PRIMA causa fuit, vt omnes intelligerent, quā præsentem in sua memoria haberet passionem suam, continuè gustans eius amaritudinem, & incessanter bibens hunc tot pœnarum calicem, ita vt siue comederet, siue biberet, siue prædicaret, siue alios sermones misceret, cum miracula & alia admiranda opera faceret, ubique illam præsentem habebat, etiam e in gloriosa sua transfiguratione, cum *Moyse & Elia loquebatur de excessu, quem completurus erat in Hierusalem*, tanquam de re, in qua multum delectaretur, quamuis re ipsa esset amarissima: quod totum eò dirigebat, vt suo exemplo me permoueret, vt & ego eandem passionem semper habeam præsentem, & delecter de ea cogitare, & frequenter de eadem loqui, ita vt sit mihi hæc memoria instar panis, qui cum omnibus reliquis cibis comeditur. O dulcis IESU, curego non delecter ea cogitare, quæ tu cogitabas; & loqui de

c *Luc. 9. 31.*
43.

I.



f Cant. 1. 13.

ijs, quæ tu loquebaris! Hoc meum est desiderium, dilecte mi, vt sit *fasciculus myrrha dilectus meus mihi*, & inter vbera mea commoretur, & tui dolores semper in oculis meis versentur, pectus meum occupent, vt eorum semper memoret, tibi compatiar, teque plus amans quam me, nunquam eos in dorsum proiciam, sed inter vbera mea, tanquam rem mihi gratissimam, & quam maximè amplecti cupiam, conseruem; nec tuos labores omnes simul & confusè accipiam; sed seorsim singulos commemorabo, quamdiu mortalem hanc vitam, & peregrinationem pertranseo, eorum odore recreatus & confortatus, donec perueniam ad æternam.

II.

SECUNDA causa fuit, vt discipulos, confirmaret in fide & credulitate harum ignominiarum, vt potè quæ creditu difficiliores essent, quam eiusdè excellentiæ & honores: & vt ad illas magna constantia subeundas, sese præpararent. Quam ob causam, cum se inter suos discipulos maximè honoratum videret, ob S. Petri confessionem: & inter plebè, ob magnitudinem miraculorū, tunc suā ipse aperit passionem, vt iuxta sententiā sapientis: *g in die bonorum ne immemor esset malorum*, & in altero die, eos ad alterum præpararet. *Ecce, inquit, ascendimus Hierosolymam*, vbi tradendus sum in mortè, & magnos despectus, & ignominias: & siquidem mecum ascenditis, præparate vos ad aliquid mecum patiendum; ne deficiatis in fide & amore, quem mihi debetis. O supreme

Magi-

Magister, quò tu ascendis, & ego ascendere volo; tecum enim pari, non descendere est, sed ascendere, & proficere; & si verè in tuo sum comitatu, nihil est quod timeam; quia certum erit auxilium tuum: tecum pari volo in Hierusalem terrestri, vt tecum regnè in Hierusalem cælesti. Ex his Christi Domini verbis, fructum eliciam in meis laboribus, cogitans, dici mihi, ab ipso: *ecco ascendimus Hierosolymam*, prius ad compatiendum, postmodum ad conregnandum; nec solus ascēdis, sed ego tecum, vt iuuem te: ego primus ascendi, tu me sequere, vt imiteris: *h si enim sustinebis & compassus fueris, etiam conregnabis in secula: Amen.*

h 2. Tim. 2.
12.

PUNCTVM III.

MOX adiecit S. Lucas, a & ipsi nihil horum intellexerunt; & erat verbū istud absconditum ab eis, & non intelligebant, quæ dicebantur; b & timebant eum interrogare de hoc verbo, c & contristati sunt vehementer.

a Luc. 18. 31.

b & c. 9. 45.
c Matth. 17.
23.

I.

PRIMUM hic perpendendum, non omnes, qui audiunt concionē de passione, aut illā legunt, aut de ea sermonē fieri audiunt, eam intelligere, penetrare, aut verè sentire; sicut nec Apostoli tunc temporis eam intelligebant, aut penetrabant, quia adhuc erant imperfecti: nam eam sentire, eius mysteria, fructus, excellentias q̄; quæ in ea latent, penetrare, donū est Dei, quod ille electis suis amicis suo tempore largitur; ideoq; illud ab ipso perā. dicens: Re-

E 2

dem

Suprà in In-
troduct. hu-
ius part.

d Phil. 2.5.

II.

demptor mi benignissime, intellectus meus est
obscuratus, & tuæ passionis mysteria, velata
mihi sunt & occulta: da mihi, quæso, illa
sentire, siquidem iubes per tuum S. Aposto-
lum, d hoc sentire in vobis, quod & in Christo
IESU.

DEINDE perpendendæ sunt causæ, ob
quas Apostoli non intelligebant ea quæ ipsis
de passione dicebatur; quia videlicet vehemē-
ter despiciebant & timebant contemptum &
ignominiam; honores autem & fastum ama-
bant, & ambiebant; ideoque referente Chri-
sto de suis doloribus & ignominis, vehemen-
ter contristabantur, animumque abiiciebant,
rem iudignam iudicantes, quod ipse illas sibi
evenire permetteret. Hinc etiam provenit, ut
cum eandem passionem ego meditor, aridus
sim totus, & nullum eius sensum habeam; quia
videlicet contrariam ipsi mysterijs dispositio-
nem habeo; quæ si sentire volo, oportet me
exuere vanum quemcunque contemptum &
dolorum timorem, & proprium simul amo-
rem, ad honores & dignitates, & contendere
magnam opinionem, & æstimationem habere
eius, quod est afflictiones & contemptus pati,
quo Dei exequar voluntatem. Ad eandem veri-
tatem, altius adhuc concipiendam, inuenit
plurimum, expendere, quod in hac occasione,
Christo Domino cum S. Petro evenit. Is enim
vix dum confessionem illam præclaram ab-
soluerat, qua ex revelatione patris coelestis,
ipsam e Christum filium Dei viui cōfessus erat;

e Matt. 16.

22.

e Marc. 8.33.

cum

lum propriam suam ruditatem & quam a Iesū habebat tarditatem ostendit, cū audiens Magistrum de passione sua loquentem, ad eū abiectè de ea sensit, vt ausus fuerit ipsū Christum propterea increpare, dicens: *Abfit à te Domine, non erit tibi hoc*; cui tamen Christus Dominus reliquos Apostolos aspiciens, Petro est comminatus, valdeque asperè illi respondit, *vade post me Satana; scandalum es mihi: quia non sapis ea, quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum*; atque si illi clariùs dixisset, tu qui me honorasti, confitendo esse filiū Dei viui, nunc Satanas es, & meus aduersarius; quandoquidem te opponis meæ passioni, & ita, quod in te est, mihi es scandalo, dum ab ea me auertere contendis, contra voluntatem mei Patris, volentis, vt illam subeam: quod totum in te provenit ex eo, quod non integram habeas cælestem sapientiam, ad cognoscendum & amplectendum ea, quæ sunt ordinata à Deo; sed humana tantum ac terrena sapientia, cognoscis, & delectaris ijs rebus, quas homines huius mundi æstimant, & magni faciunt; *vade itaque post me, & sequere me*: neque enim ego secuturus sum tuum errans iudicium, sed tu meum, quod est rectum. Ex hoc intelligam, quantam Christus Dominus de passione & morte sua æstimationem haberet, eò quod à voluntate Patris sui, & in mundi commodum esset destinata; & quantam porrò velit ipse nos habere æstimationem de laboribus & despectibus, hoc nomine ab ipso toleratis; ita vt quemcunque,

nos ab hoc auertere studentem, tanquam Satanam, & lapidem scandali habeamus; nec nos post illum eamus, sed deducere eum conemur, vt nos sequens, id sentiat, quod nos sentimus; & quamuis pio fortè zelo nobis se opponat, & ipse sit sanctus, à Deo in alijs rebus illustratus, nobisq; aliàs amicus & dilectus, repellere tamen eum debemus; sicut hic videmus Petrum, à Christo repulsum fuisse. O supreme Magister, qui ad eò altè de tua passione, ob celestem sapientiam, qua illius causam respiciebas, sensisti, denuda me ab omni terrena sapientia; indue verò tua coelesti, vt & ego altè sentiam de tuis laboribus, ac de illis, quos me volueris tuo amore perpeti. Nolo redemptor mi, eò te deducere, vt iudicium meum proprium, ac desiderium sequaris; quia vei è eff iudicium errans, & terrenum desiderium; post te ire volo, teque sequi; æstimans, quod à te video æstimari; diligens, quod à te video diligere; ac detestans, quod tu detestaris; & siquidem tale mihi largiris desiderium; da etiam quæso gratiam ad illud exequendum.

Amen.

